



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 400/20

HARTFORTIENSIS

Instante Excellentissimo Domino Leonardo P. Blair, Archiepiscopo Hartfortiensi, litteris die 11 mensis augusti 2020 datis, vigore facultatum huic Congregationi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, textum *latinum et anglicum* orationis collectæ atque lectionis alterius pro Officio lectionis Liturgiæ Horarum in honorem futuri beati Michælis J. McGivney, presbyteri, prout in adiecto exstat exemplari, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textu imprimendo mentio fiat de approbatione seu confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 22 mensis octobris 2020, in memoria sancti Ioannis Pauli II, papæ.

Robertus Card. Sarah
Præfectus

✠Arthurus Roche
Archiepiscopus Secretarius

Beati Michælis McGivney, presbyteri

De Communi pastorum: pro uno pastore.

Deus misericórdiæ sempiternæ,
qui beátum Michaélem, presbýterum, in Ecclésia posuísti
ad afflíctos et laborántes, derelíctos et onerátos
opéribus caritátis ac cleménti corde confortándos,
præsta, quæsumus, eius intercessióne,
ut nos quoque vasa hoc sáculo fieri misericórdiæ,
et ita cæléstem hereditátem cónsequi valeámus.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti,
Deus, per omnia saecula saeculorum.

Beati Michælis McGivney, presbyteri

De Communi pastorum.

LECTIO I **Eph 4**, 1-7. 11-13: «*In opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*».
Fratres: Obsecro vos ego vinctus in Domino...

Ps. RESP. **Ps 109**, 1. 2. 3. 4
R/ (4b): Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

ALLELUIA **Lc 4**, 18: Evangelizare pauperibus misit me Dominus,
praedicare captivis remissionem.

De Communi sanctorum et sanctarum.

EVANG. **Mt 5**, 1-12a: «*Gaudate et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis*».
In illo tempore: Videns Iesus turbas... 12 *usque ad* copiosa est in caelis.

Beati Michaelis McGivney, presbyteri

Natus die 12 augusti 1852 in civitate v.d. *Waterbury (Connecticut)* ab immigratis parentibus hiberniis, in ecclesia Sancto Petro dicata (quae antecedebat hodiernam Basilicam Immaculatae Conceptionis nuncupatam) die 19 mensis augusti baptizatus est. Sacerdotio auctus die 12 decembris 1877, ecclesiae Sanctae Mariae in urbe v.d. *New Haven* commissus est, ubi illius habilitas applicandi ad omnes homines cuiuslibet condicionis, status vel religionis manifesta facta est. Consociationem fraternam et beneficam, cui nomen est Equites Columbi, anno 1882 fundavit, quae curam spiritualem apostolicamque catholicis praebet. Parochus fuit ecclesiae Sancto Thomae dicatae in civitate v.d. *Thomaston (Connecticut)*, et ibi obiit propter phthisim die 14 augusti 1890. Die 31 octobris 2020 in civitate v.d. *Hartford (Connecticut)* beatificatus est.

De Communi sanctorum: pro iis qui opera misericordiae exercuerunt.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex libris sex de sacerdotio sancti Ioannis Chrysostomi, episcopi

(De sacerdotio II.1: PG 48, 631-632)

Si amas me, pasce oves meas.

Ecquid, inquam, hoc lucro maius fuerit, quam si haec agamus dilectionis erga Christum argumenta esse dixit ipse Christus, qui apostolorum coryphaeum sic alloquitur, «Petre», inquit, «amas me?» id illo confitente, adiungit, «Si amas me, pasce oves meas». Interrogat discipulum Magister, num diligatur ab eo, non ut ediscat: quomodo enim ediscat cum omnium corda norit? sed ut nos doceret cordi sibi esset huiusmodi gregis praefectura. Id cum palam sit, illud item manifestum erit, magnam fore mercedem laboranti in iis, quae magno apud Christum in pretio sunt.

Nam si, cum quosdam videmus famulorum vel pecorum nostrorum curam habere, sollicitudinem illam pro argumento amoris erga habemus, etiamsi illa omnia pecuniae pretio emantur: qui non pecunia aut alio quopiam simili, sed propria morte hunc gregem emit, et pro ovilis pretio sanguinem dedit, quanto praemio pastores eius remunerabit? Quamobrem cum dixisset discipulus, «Tu scis, Domine, quia amo te», et dilectum ipsum in dilectionis testem vocasset: non hic stetit Servator, sed dilectionis argumentum adiecit. Non enim quantum Petrus se diligeret ostendere tunc volebat: nam id nobis ex multis argumentis iam palam erat; sed quantum ipse Ecclesiam diligeret suam, et Petrum et nos omnes edoceri voluit, ut magnam et nos hac in re sollicitudinem exhiberemus.

Cur enim Deus Filio suo unigenito non pepercit, sed quem unicum habebat tradidit? Ut eos qui inimico erga se animo essent sibi reconciliaret, et peculiarem sibi populum faceret. Cur sanguinem effudit? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus eius tradidit.

Iure ergo dicebat Christus, «Quisnam est fidelis servus et prudens, quem constituet dominus eius super domum suam?» Rursum verba dubitantis sunt, etsi qui loquitur nihil dubitans ea proferat: sed quemadmodum cum Petrum interrogaret num se diligeret, non ideo sciscitabatur quod vellet discipuli amorem explorare, sed ut proprii amoris magnitudinem declararet; ita et nunc cum dicit, «Quisnam est fidelis servus et prudens?» non hoc ait, quod ei ignetus sit fidelis ac prudens servus sed quod ostendere velit, quam rari sint huiusmodi servi, et quanta sit illius magistratus amplitudo. Vide itaque quantum sit praemium: «Super omnia, inquit, bona sua constituet eum».

RESPONSORIUM

1 Pet 5, 1-2.4

R/. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum.* Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

V/. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.* Et cum.

Oratio

Deus misericordiæ sempiternæ, qui beatum Michaëlem, presbýterum, in Ecclésia posuisti ad afflíctos et laborántes, derelíctos et onerátos opéribus caritátis ac cleménti corde confortándos, præsta, quæsumus, eius intercessióne, ut nos quoque vasa hoc sæculo fieri misericordiæ, et ita cæléstem hereditátem cónsequi valeámus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.